

quod cum minime fieri posset, quia Deus est, quo nihil melius esse potest, qui nunquam fallit, neque fallitur, necesse est verum esse Deum, quem daemon imitari conabatur, ut in seipsum diuinus honores transferret.

Enthusiastæ Sybillæ. Ad quos Enthusiastæ, seu afflati, & quasi fatidica vi correpti, atque spiritu afflati, (quales Sybillas nonnulli fuisse putant) referuntur, qui tamen demonem infessorem non habent.

Ecstati. Sunt etiam Ecstati. i. extra se rapti, qui omni motu, atque sensu priuati iacent quasi exanimis, & post aliquot horas, vel dies ad se redeunt, & mira referunt. Qui omnes Deum esse sentiunt, vel ipso diuinitatis desiderio, quo exardescunt, quam illius partem se putant assecuturos, si ad futurorum prædictionem perueniant.

Lycæones. Vix scio an hic Lycanthropos, seu Lycæones referre debeam, qui putant se in lupos conuerti, & in obuios greges irruunt, atque damna plurima inferunt, quippe qui ad maleficos potius, quam diuinis referendi videantur. Quid obsecro volunt isti, quid futura inquirunt, vel occulta sciscitantur, qui certis ergastulis demones inclusos habent, & interrogant, nisi ut apud homines famam, & honorem, atque gloriam sibi comparent, & in eorum veniant admirationem: ac si diuinitatis quidpiam haberent.

Quis Necromantiam manes ex orco reuocantem, & ex iis futura prædicentem; Lecanomantiam ex pelui aqua plena demonis vocem euocantem, lapillis prius, & laminis iniectis. Gastromantiam ope pueri innocentis in vitro aqua pleno respicientis, & videtis, quid in ea fiat à demone, præfragientem: & alias artes peruersas, & mendacissimas inuenit, nisi qui futura, Dei instar, annuntiare desideret. Inter quas non vltimum locum

Catoptromantia. Catoptromantia obtinuit, quæ per specula, in quibus apparent demones, occulta, futura, vel absentia sciscitatur, quod ex variis figuris in crystallo apparentibus, & à diabolo effectis: Chrysallo-mantia & Dactylomantia de futuris coniciens ex annulis, in quibus certus colorum positus effectus est, præstat. In quibus omnibus manifestus est creaturarum abusus, quas Deus ad suam gloriam & hominum utilitatem produxerat, ut iam luce clarius euadat illas vanitati subditas esse, & ingemiscere, ac parturire vsque adhuc, donec ad perfectionem reducantur: nunc autem, numine diuino iustus de causis permittente, iniquitati volentes nolentes seruiunt.

O creaturas impias, ô ingratos homines, qui tam audeat bonis à Deo sibi concessis abutuntur: quia vos ita fascinauit, ut futura per Onymantiam, oleum, & fuliginem in vnguem effundentem, & per imagines apparentes innocenti (ut loquimini) puero, annuntiarî posse crederetis: An aqua vobis subministrata est, ut eam Hydromantia commaculetis, & in eam demisso annulo pro variis motibus, effluxionibus, inundationibus, & coloribus, varia prædicere-tis? vnde spectata in aëre apparentia virtutem habent futura prælagendi, quæ per Aëromantiam doceant. Facessant Magi atque Goëtici omnes cum suis incantationibus, & pharmaciam, qua tot vnguenta noxia, vel medicamina ex mixtis corporibus effecerunt, quæ tactu, vel afflatu, vel suppositione, & inhumatione in loco, per quem eundem est, prætereuntes inficiunt, deinceps abiiciant.

Nec vllus sit, qui stultum non arbitretur eum, quem in Coscinomantia, seu Axinomantia, securi, forcipe, cribro, & similibus vntem tempus infumere contigerit; nec cum alini nomine dignum censcat, qui Cephalæonomantia studuerit, quæ caput alini super prunas imponit. Satis enim constat illa omnia nullam habere cum rebus futuris inquirendis analogiam; quasi verò Galus gallinaceus certa grana comedens literis quantumcunque suppositis per Alectryomantiam futura nuntiare posset: Omitto varia philtrea conciliandis amoribus, vel effeminandis viris apertissima; thesaurorum inuentiones, bonorum alienorum surreptiones occultas; malarum artem imaguncularum; variarum figurarum, & characterum artes pessimas, ad quas ars notoria, Almædei, & clauica Salomonis, atque Picatrix referri possunt.

Dæmones non tantum creaturis, sed & sacrificiis abusi sunt, atque hominibus persuasere, ut per Hieroscopiam ex victimis ante mactationem, prædicerent, quapropter Hepatoscopiam, seu Extipiscinam in extis, hepate, corde, reliquisque victimarum visceribus collocarunt; Pyromantiam in victima iam in ignem iniecta, & accensa: Capnomantiam in fumo è granis papaueris in prunas iniectis emissio; qui si ex thure exhalaret, Libanomantiam efficebat.

Oinomantiam ex vino victimis iniecto, varioque motu, & colore, Crithomantiam, & Aleu-mantiam ex farte, libo, &c. Ooscopiam ex signis in ouis apparentibus: Ichthyomantiam ex piscibus: Anthropomantiam ex victimis humanis, & alias diuinationes plurimas ex cælo, & fulminibus dextris, vel sinistris composuere; sicut ex auium volatu fecerunt Ornithoscopiam, seu Aruspiciam; ex eorum garritu Cledon, sive augurium: extripudium pullorum, & ex diris, atque monstris alias diuinationis species: ex iis quæ subitò, & præter opinionem occurrunt in via, Eno-dium; si quid in solium in domo, Oeocscopiam, ut si serpentes vidissent: si quid insolitum in proprio corpore Palmicam, ut si dexter oculus, vel humerus subsiliret.

Deus bone quot sortes inuenta sunt, quibus ea, quæ sunt Dei, cacodæmon, & homines sibi arrogarent; nunquid enim ea de causa telluris iactatis Cleromantiam, & aliis modis prænestinas, antianas, Lycias, & Dælias inuenerunt? maiores erant telleræ, vel officuli, ad puncta deueniendum fuit, ut ex 16 figuris in terra, charta, vel puluere inscriptis Geomantia nugaretur, & Onomantia, seu Arithmantia in propriis nominibus ad numeros reductis luderet: quasi verò vincere debuerit Achilles, quod in nomine numerum maiorem, quam Hector includeret. Væ nugiuendulis, qui ex nominibus variè commutatis per Logarithmantiam; ex litterarum commutatione per Cabalisticam, & Anagrammaticum; ex litteris cineribus inscriptis, ventotique expositis per Tepramantiam futura se prælagere posse credunt; cur obsecro relictæ litteræ potius, quam deletæ futura tibi manifesta-bunt?

Faxit Deus Opt. Max. ut has omnes diuinationis species impj desertant, neque deinceps vllus Bottonomantiam ex salua, & foliis ficuû constantem, aut Ceromantiam per fusæ ceræ guttulas in aquam decedentes, fortisque Homericas, & Virgilianæ

Coscino-mantia. Axinomantia Cephalæonomantia.

Alectryo-mantia Ars notoria, & alia.

Hierosco-pia.

Hepatosco-pia.

Pyromantia.

Capnomantia.

Oinomantia.

Aleumantia.

Crithomantia.

Ooscopia.

Ichthyomantia.

Anthropomantia.

Ornithoscopia.

Cledon.

Enodium.

Oeocscopia.

Palmica.

Cleromantia.

Sortes vaticinæ.

Geomantia.

Onomantia.

Arithmantia.

Logarithmantia.

Cabalistica.

Tepramantia.

Bottonomantia.

Ceromantia.

Sortes Homericæ & Virgilianæ.

&c.